

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Coniugium m
cum fontibus proximo et primo

Non est uxor ducenda sapienti,
primum quia studia philosophie impedit,
nec posse quemquam libris et uxori pariter inseruire.
Multa sunt que matronarum usibus necessaria sunt,
uidelicet precise uestes, aurum, gemme, sumptus, ancille,
suppellex uaria.
Deinde per totas noctes garrule questiones:
Illa ornatior procedit in publicum;
hec honoratur ab omnibus,
ego in conuentu feminarum misera despicior.
Cur aspiciebas uicinam? Quid cum ancilla loquebaris?
De foro ueniens quid attulisti?
Non amicum habere possumus, non sodalem;
alterius amorem suum suspicatur odium.

Hugo de sancto Victore in libello ad socium uolentem
nubere.

Non est igitur uxor ducenda sapienti.
Primum enim studia philosophiae impediti,
nec posse quemquam libris et uxori pariter inseruire.
Multa sunt, quae matronarum usibus necessaria sunt:
pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae,
supellex varia, lecticae;
deinde per totas noctes querulae conquestiones;
illa ornatior procedit in publicum,
haec honoratur ab omnibus,
ego in conuentu feminarum misella despicior.
Cur aspiciebas uicinam? Quid cum ancilla loquebaris?
De toto (sic) ueniens quid attulisti?
Non amicum habere possumus, non sodalem;
alterius amorem uxor sui odium suspicatur.

Hugo de Folieto, *De nuptiis*, 1.1 (PL 176, col.1203A-B).

Non est ergo uxor ducenda sapienti.
Primum enim impediti studia Philosophiae;
nec posse quemquam libris et uxori pariter inseruire.
Multa esse quae matronarum usibus necessaria sint,
pretiosae uestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae,
supellex uaria, lecticae et esseda deaurata.
Deinde per noctes totas garrulae conquestiones:
Illa ornatior procedit in publicum;
haec honoratur ab omnibus,
ego in conuentu feminarum misella despicior.
Cur aspiciebas uicinam? quid cum ancillula loquebaris?
de foro ueniens quid attulisti?
Non amicum habere possumus, non sodalem.
Alterius amorem, suum odium suspicatur.

Hieronymus Stridonensis, *Aduersus Iovinianum*, 1.47 (PL
23, col.276C-277A).